

mentororum confusione certatim omnia personent.

Datum Romae die 19. Febr. 1794.
(Bull. r. t. XVIII. p. 12.)

Cavendum est ne sonus organi sit lascivus aut impurus et ne cum eo proferantur cantus, qui ad Officium, quod agitur, non spectant, nedum profani aut lubrici, nec alia instrumenta musicalia, praeter ipsum organum addantur. Idem quoque Cantores et Musici observent, ne vocum harmonia, quae ad pietatem augendam est, aliquid levitatis aut lasciviae prae se ferat, ac potius audientium animos a rei divinae contemplatione avocet; sed sit devota, distincta et intelligibilis. *Caer. Ep. l. I. c. XXVIII. n. 11. 12.*

2) Locus in processione.

Cf.: Magister capellae; Cantores.

Ad dubium: Ubi et quomodo incedere debent Cantores in process. SSmi Corp. Chr. aliisque solemnibus? S. C. resp.: Servandum esse *Caer. Ep. c. 2. l. I. et alibi, eosque cotta indutos tunc incedere debere. Die 8. Oct. 1650.*

Ad dubium: An musici in process. et functionibus publicis possunt procedere in habitu saeculari et gladio cincti, unum corpus faciendo cum clero, vel debeant incedere in habitu clericali cum cotta? S. C. resp.: Non licere. Die 18. Mart. 1679.

Quum S. R. C. requisita fuerit a Canonico Dioecesis Brundusinae, quo loco procedere debeat concentus musicus, dum s. processionibus intervenit? S. C. resp.: Assignetur locus ab Episcopo, vero ante utrumque cle- rum. n. 4815 die 23. Sept. 1837.

Albanen.

Quum in solemnibus Supplicatione in hon. S. Pancratii Mart. Patroni praecipui Civitatis Albanen. vertente Anno

ibi instituta, contra invecam consuetudinem et Decreta S. hujus R. C. concentus musicus, vulgo *la Banda*, locum sumpserit Clerum Reg. inter et Saec., Religiosorum Ord. Convent., Carmelitarum et Capuccinorum ibi degentium Superiores, ne scandala in Populo orirentur, cum suis Alumnis eidem Supplicationi interfuerunt, sed interim S. ipsam R. C. rogarunt, ut declarare dignaretur, quid aliis in circumstantiis similibus sit exequendum, ne vel in minimo laedantur Ecclesiasticae sanctiones. Et Emi ac Rmi P. S. tuendis Ritibus praepositi, memores IX. Kal. Oct. de anno 1837 in una Brundusina sancitum fuisse, ut huic Concentui ab Ep. assignaretur locus in Processionibus, verum ante utrumque Clerum, referente subscripto Secretario, rescribendum censuerunt: „Detur Decretum in Brundusina die 23. Sept. 1837.“

Atque ita rescripserunt ac in similibus servandum omnino mandarunt. Die 7. Dec. 1844. n. 4981.

3) Protrahatio.

Ad relationem, quod in Missis solemnibus concentus musicales, qui ad rem non pertinent, misceantur, et in tantum spatium protrahantur, ut Sacerdotes otiosi diutius ad altare distracti haereant et caeremoniarum ordo inflectatur, ita ut non Musica Missae sed Missa Musicae famuletur —, S. C. resp.: *Indigere reformatione.* n. 1432 ad 2 die 24. Febr. 1643.

4) Coram SSmo expos.

Vd.: *Instructio Clem. §. III. n. 9 — 17. Expos. SSmi (cantus).*

MYSTERA ROSARII.

Vd.: *Rosar. (indulg.).*

N.

S. NARCISUS.

Officium s. Narcisi pro Regnis Hispaniarum concessum est pro diebus 18. Mart. et 29. Oct., prout recitatur in civ. et dioec. Gerundae. Ad petitionem, quo ritu celebrandum sit? S. C. resp.: Officium s. N. recitandum esse in Civitate et Dioecesi Gerundae 29. Oct. cum Missa sub ritu dupl. I. cl. cum octava. Die vero 18. Mart. de eo faciendum esse tantum commemorationem. In Regnis vero Hispaniarum recitandum esse sub ritu dupl. min. 29. Oct. tantum. n. 3439 die 3. Aug. 1697.

NATALITIA SANCTORUM.

Ad dubium: an dies natalitii ii omnes habendi sunt, qui, licet vere non sint dies obitus, tamen in Calendario fixi aut uti propria sedes et cuicumque festivitati alicujus Sancti, decreto ap. assignati sunt? S. C. resp.: *Affirmative.* n. 3007 ad 1 die 28. Novb. 1682.

NATIVITAS D. N.

1) Cantorum habitus.

Ariminen.

Ad dubium: An in Matutino Noctis Nativitatis Dominicae duo Assistentes Sacerdotes parati cantaturi primas Homilias deferre debeant sub Pluviali Stolum diaconalem vel a collo pendentem, vel in modum Crucis ante pectus? Et quid si duo Assistentes essent unus simplex Diaconus, Subdiaconus alter? S. C. resp.:

„Negative juxta Generale Decretum die 7. Septembris 1816 et juxta Caeremoniale Episcoporum, Subdiaconus se absteineat a cantando Evangelio cum Lectione.“ n. 4681 ad 1 7. Apr. 1832.

2) Celebrans.

Episcopo absente in Nocte SS. Nativitatis Praepositus Officium facere debet in choro non vero Canonici hebdomadarius. n. 1600 die 23. Jan. 1649. Vd.: *Matutinum sol.*

In functionibus in prima nocte et festo Nativit. Dom. absente Episcopo vel praesente et nolente eisdem assistere spectare ad Praepositum primam Dignitatem Cathed. cantato per ipsum in prima nocte Matutino, die mane festo Nativ. celebrare missam sol. n. 2683 die 3. Mart. 1674.

Ad Praepositum primam Dignitatem S. Miniati et non ad Hebdomadariam ejusdem spectare nocte Nativ. D. N. in defectu Episcopi peragere functiones Matutini et celebrare missam. n. 2710 die 4. Aug. 1674.

3) Communio in Nocte Nativit. Dom.

Vd.: *Communio.* (In Nocte Nativ.)

Ad dubium: Utrum liceat sacerdoti post primam missam celebratam communicare laico modo?

Vd.: *Missa* (interrupta per mortem sacerdotis. *Nota ad finem.*)

Pius PP. VI.

(Monialibus Monasterii s. Florae civit.)

Exponi Nobis nuper fecistis, quod ob specialem consolationem et animarum vestrarum profectum in solemnibus missa, quae in nocte Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi celebrari solet, SS. Eucharistiae Sacramento refici cupiatis, Nobis propterea humiliter supplicari fecistis, ut vobis in praemissis opportune providere, et, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dig-

gationi supplicaverint pro facultate redeundi ad usum praedictum et sic celebrandi Missam juxta privilegium sanct. mem. Pii IV., datae fuerunt juxta morem literae ad Patriarcham Venetiarum, qui retulit exposita in facto subsistere, hoc est, fuisse a dicto Pontifice concessum Breve supra memoratum, quod etiam fuit exhibitum in forma authentica et ulterius Presbyteros Indulto usos fuisse, causamque ignorari, propter quam ab ejus usu destiterint. Certe liquet ante dictae Ecclesiae Presbyteros eodem Indulto sic ut supra celebrandi usos fuisse, incertum vero, qua de causa temporis progressu executum non fuerit.

Porro antiquiori relicta Disciplina, juxta quam pro sacrificio Missae hora tertia diebus Festis, hora sexta diebus ferialibus, hora nona diebus jejuniorum per annum et hora vespertina diebus quadragesimalibus erat statuta, juxta late et erudite recensita per *cl. mem. Card. Bonam rerum Liturgicarum lib. 1 cap. 21 per totum*, in eo, quod attinet ad Jus, quod Privilegium antecessit, Textus est in *can. Nocte Sancta de Consecrat. dist. 1*, ubi sic legitur: *Nocte Sancta Nativitatis Domini Salvatoris Missas celebrent Presbyteri et Hymnum Angelicum in illis solemniter decantent, quoniam et eadem nocte ab Angelo Pastoribus nunciatus est. At ex hoc Textu non potest quaestio determinari: an Nocte Nativitatis Domini Missa ante vel post mediam noctem sit celebranda, uti perpenso dicto Textu firmat Pasqualig. de Sacrif. novae legis tom. 1 quaest. 405 per totam*, ubi inquit, Missam post mediam noctem esse celebrandam Nocte Nativitatis Domini ex praxi Ecclesiae, cui tamen derogari potest vel ex consuetudine legitime praescripta vel ex Privilegio Apostolico. In Concilio Tridentino, quod est Privilegio posterius, in Decreto de observan. et evitan. in cele-

bratione Missae cavetur tantummodo, ne Sacerdotes aliis quam debitis horis celebrent; quo circa tota difficultas est in *Bulla 4. S. Pii V. *) Bull. tom. 2.*, in qua, postquam ab eodem Pontifice fuit enarratum, quod nonnullae Metropolitanæ, Cathedrales et Collegiatae Ecclesiae a Sede Apostolica vel ejus Legatis aut etiam a Majori Poenitentiaro licentias obtinuerant celebrari et celebrare faciendi de sero et etiam circa solis occasum vigiliae signanter Nativitatis, missas, quae media nocte seu in Aurora ejusdem Nativitatis juxta Ritus S. R. E. essent celebrandae, prohibuit Praelatis et Capitulis in virtute sanctae Obedientiae et imposita poena perpetuae suspensionis à Divinis, *ne deinceps Missas vespertino tempore hujusmodi licentiarum et facultatum aut alio quovis praetextu celebrare vel celebrari facere praesumant*, addita derogatione quibuscunque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, consuetudinibus et privilegiis etiam munitis derogatoriarum derogatoriis et aliis quibuscunque clausulis, etiam si privilegia concessa fuissent intuitu Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum et aliorum Principum, ut ex lectura praedictae Bullae colligi potest.

Discursu itaque redacto ad hanc S. Pii V. Constitutionem ex una parte videtur, quod eadem derogat indulto seu Privilegio Summi Pontificis Pii Quarti, cum sit eodem posterior et cum in eadem amplissimae contineantur derogationes et cum communis opinio Doctorum sit, quod omnia antecedentia privilegia celebrandi ante mediam noctem sint in praedicta Bulla Piana revocata, *Azor. Instit. Moral. partet. lib. 10 cap. 25 quaest. 3 ibi: sed haec privilegia abrogata sunt auctoritate Pii V.; Francolin. de tempore*

*) Vd.: *Missae (hora)*.

horar. canonic. cap. 29 num. 11 et 14, *Card. Brancacius* in opus de Privileg. Capel. Cardinal. pag. 15, *Clericat* in suis Decis. de Sacrif. Missae Decis. 39 num. 15 et 16; et celebrationem ante mediam noctem sub poena suspensionis fuisse prohibitam in Synodo Veneta sub Cardinali Priola testantur *Polacus* in suis Aphorismis Sacrar. Caerm. Aphor. primo num. 4, *Pac. Jordan.* elucub. divers. tom. 1 lib. 4 tit. 1 de Sacrif. Missae etc. n. 93.

Ex alia vero parte videtur, quod Bulla Piana non derogaverit indulto seu Privilegio, de quo nunc agitur, non solum quia non obstante dicta Bulla Privilegium ad nostra fere tempora suam habuit executionem, sed etiam quia praetermisso exemplo Capellae Pontificiae, in qua nocte Nativitatis Domini ante mediam noctem Missa celebratur, absque eo, quod ullum expediatur Breve pro Missae celebratione dicta hora faciendae, uti plene testatur *Diana* in edit. coord. rerum Moral. tom. 2 tract. 3 Resolut. 12 n. 4, in ipsa Civitate Venetiarum nocte Nativitatis Domini ante mediam noctem Missa celebratur a Primicerio in Templo S. Marci et Senatus Venetus alique, qui Missam dicta hora audiunt, satisfaciunt praecepto audiendi Missam die Nativitatis Domini, uti latè ostendit *Diana* loco citat. resolut. 11 per totam; hoc ipsum sit in eadem Civitate in Ecclesiis S. Joannis et S. Jacobi di Rialto nec non in Ecclesia Canonicorum Lateranensium et in Ecclesia Patrum, qui nuncupantur Frari, nec non in Ecclesia Monialium S. Zachariae, uti admittit Patriarcha in sua informatione, ita ut imperceptibile videatur, quod Missae in dictis Ecclesiis hora praedicta celebrentur, et celebrari non possint in Ecclesia Collegiata, de qua nunc agitur, quaeque specialissimum habet Privilegium supra memoratum.

His stantibus dignabuntur EE. VV. decernere:

An permittendum sit, quod in Ecclesia Collegiata et Parochiali S. Pauli Nocte Nativitatis Domini prima noctis hora Missa celebretur in casu?

S. C. C. resp.: Negative.
Die 13. Julii 1720.

e) Quot in Nocte?

Cf.: *S. Anastasia; Communio in Nativ. D.; Missa prohibita; Sacerd. caecut.* (decr. n. 4878.)

Non esse permittendum usum introductum a nonnullis Canonicis et presbyteris Cathedr. Lucanae celebrandi tres missas privat. immediate post decantatam missam sol. in nocte Nat. D. N. n. 2969 die 22. Novb. 1681.

Hoc decretum ligat *Omnes* non habentes privilegium in contrarium. n. 3105 ad 1 die 23. Mart. 1686.

Nulla modo licere in nocte Nativitatis Dom. post cantatam primam Missam alias duas immediate celebrare. n. 1319 die 20. Apr. 1641; n. 1360 die 7. Decb. 1641; n. 3648 ad 3 die 28. Apr. 1703.

Non expedire, ut a Regularibus hujusmodi ritus introducantur tamquam rubricis Missalis et inveteratae Ecclesiae consuetudini contrarii, ideoque non esse permittendum celebrare in Nocte Nativ. D. primam, secundam et tertiam Missam. n. 1391 die 31. Maii 1642.

Clemens PP. XI.

Essendosi introdotto in alcuno Chiese di Roma, che nella notte del S. Natale di Christo Signor Nostro si amministra il Santiss. Sacramento dell' Eucharistia alli fedeli e doppo detta la prima Messa si celebrano anche l'altre due nell' istessa notte, il che essendo contra la rubrica del messale rom.: *de hora celebrandi missam*, e contro i replicati

decreti della S. Congreg. de riti emanati sotto li 7. Decbr. 1641, sotto li 9. Aug. 1653 et in una Pisaur. 20. Apr. 1664 e successivamente ingiunta l'esecuzione di detti decreti dalla S. Congr. della Visita ap. sotto li 7. del corrente mese. Però ordiniamo che in tutte le Chiese Patriarch., Basil., Colleg., Parochiali, Nazion., Regolari dell' uno, e l'altro sesso, ed altre di quest Alma Citta, inquisivoglia modo privilegiate, si osservino inviolabilmente li detti decreti in modo, che eccetto la I. Messa da dirsi (dove però è solito) doppo la mezza notte, non si possano celebrare l'altre due, se non nell' ora prescritta dalla detta rubrica, e dalli nostri Editti. Di più non si permetta in canto alcuno, che li fedeli si comunichino nell' istessa notte, e ciò per evitar l'inconvenienti potendo sodisfare alla lore divozione nel giorno de s. Natale, sotto pena in caso di contravvenzione di ciascheduna delle cose sudette di privazione dell Ufficio alli Superiori, Officiali, e Ministri delle Chiese, ed altre à nostro arbitrio, e li Sacerdoti, che celebreranno, ò che amministreranno il S. Sacramento dell' Eucharistia saranno da Noi sospesi per venti giorni a Divinis, tutte volte ci costara la trasgressione.

Dat. in Roma dalla nostra solita Residenza questo di 18. Decbr. 1702.

(Bull. r. t. VIII. p. 245.)

Non possunt post mediam noctem Nativ. Dom. ante auroram simul celebrari tres privatae missae. n. 2806 ad 1 die 14. Novb. 1676.

Sacerdos, qui in dicta nocte celebravit missam sol., non potest immediate celebrare privatim reliquas duas missas, sed tenetur expectare auroram. n. 2806 ad 2 die 14. Novb. 1676; n. 3607 die 3. Decbr. 1701.

Ad petitionem Episcopi Tinen. in Insula Archipelagi, ut concedatur, quod I. missa nocte Nativ. Dom. celebrari

possit circa tres horas noctis post Vesperum et Matutinum, sicut fit in Candia et aliis civitatibus Status? S. C. resp.: Non licuisse neque licere. n. 2916 die 24. Febr. 1680.

Sub prohibitione celebrandi missas priv. post solemnem decantatam et administrandi fidelibus s. Eucharistiam in nocte Nativ. comprehenduntur etiam Carmelitae utriusque sexus, etiamsi apud illos cantetur missa sol. non in media nocte sed circiter horam tertiam post Matutinum. Et consuetudo contraria immemorabilis non potest sustentari apud Moniales, Religiosos choristas et laicos. n. 4401 ad 7 et 8 die 16. Febr. 1781.

In nocte Nativit. D. N. non licet Sacerdoti ante auroram celebrare missam privatam absque indulto apost. et contraria praxis declaranda est abusus et per Episcopum abscindenda. n. 4404 ad 1 et 2 die 18. Septbr. 1781.

d) Quot convent.?

Ad dubium: an constante consuetudine Tiburtinae Cathedr. a Canonicis omitti possit in die Nativit. Dom. 2da Missa, quae in aurora illius diei celebranda praescribitur? S. C. resp.: Negative. n. 4603 ad 1 die 27. (30.) Mart. 1824.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Ne a quaestione deflectar, quae Sac. Rit. Congregationi discutienda ac definienda proposita fuit, non quaeram, num Pontifex Telesphorus primus fuerit, qui indulxit, ut in die Nativitatis Domini sacra tres Missae possent celebrari, veluti nonnulli argui existimant, ex Cap. Nocte Sancta 48. distinct 1. de consecratione, quod perperam eidem tribuitur, et supposititiis adnumerandum esse emunctae naris Scriptores volunt, ac ad Isidori Mercatoris merces amandant Nec video, quomodo talis permissio aut institutio

ex eo canone (quatenus ut genuinus haberi velit) evinci queat, cum ne verbum quidem in eo occurrat, quo hujusmodi opinio fulciri possit: constitutum quippe dumtaxat in eo est, ut Missas celebrari non liceat ante horam tertiam, praeter quam nocte sancta Nativitatis Domini. Certum tamen est morem celebrandi Missas ea die multo ante aevum S. Gregorii Magni in Ecclesia saltem Romana obtinuisse, ut in Homilia 8. in Evang. Neque mihi dabo scrutari et expendere mysticas significationes, quas in harum Missarum partibus et relate ad horas, in quibus easdem celebrari statutum est, inveniunt Amalarius lib. 3. de Eccles. offic. cap. 41, Rabanus Maurus lib. 2. cap. 31. Instit. Cleric., Micrologus de Eccles. observat. cap. 4, Rupertus de Divin. Offic. cap. 15, 20, 21 et 22, ac tandem, ut plurimos alios praeteream, Pougetus Instit. catholic. tom. I. pag. 814, et Benedictus XIV. de Fest. D. N. J. C. cap. 17. num. 57. Strictim potius pauca quaedam annotabo, quae simul demonstrant Sac. Congregationem, non secus ac fecit, proposito dubio respondere debuisse, et SSmum D. N. Leonem XII. plene in omnibus ejusdem Congregationis voto adhaesisse, licet temperaverit legis rigorem, et, attentis circumstantiis, specialiaque gratia, intactam relinquens rubricae regulam, de suae potestatis plenitudine aliquid circa modum indulserit. Rubrica Missalis Romani agens tit. 15. de hora celebrandi Missam conventualem apte distinguit Festa, in quibus recolitur memoria Sanctorum, Ferias atque Vigiliis et diversas designat horas pro Sacro faciendo juxta diversitatem dierum et ritus: excipit tamen a regula generali diem Nativitatis Domini, ibi num. 4: Excipiantur ab hoc ordine dicendi Missam conventualem Missae in Nativitate Domini, quarum prima dicitur post me-

diam noctem finito Te Deum Laudamus in Matutino; secunda in aurora, dictis Laudibus et Prima; tertia vero in die, post Tertiam; vel ubi aliter ex dispositione Apostolica disponatur. Conformis pariter est rubrica Breviarii, quae haec habet: In die Nativitatis Domini etc., quo finito (Te Deum) et dicto Benedicamus Domino, celebratur prima Missa post mediam noctem summo mane dicitur Prima, qua finita celebratur secunda Missa in aurora Tertia dicitur hora sua, qua finita celebratur tertia Missa de die Nativitatis: ita etiam glossa ad praefatum cap. Nocte sancta. Exceptio tamen hujusmodi non respicit Missas privatas, quae celebrari possunt quacumque hora ab aurora ad meridiem, nec singuli Sacerdotes ad trinam celebrationem tenentur, sed prout libet, potest quilibet semel aut ter Sacrificium offerre; nam Ecclesia non jubet, sed ea in solemnitate permittit iterare Sacrum, quod aliis diebus vetitum est. Verum rationem habet Missarum Conventualium, ad quas Ecclesiae praesertim Cathedralis tenentur, veluti praecipit Honorius III. in cap.: Cum creatura, de celebratione Missarum: recta hinc descendit Cathedralis Tiburtinae Canonicos, ex rubricali praescripto teneri stans horis ad solemnem trium Missarum celebrationem. Centies namque a S. R. Congregatione declaratum definitumque fuit, in Cathedralibus et Collegiatis, in quibus quotidianum est Chori servitium, tot Missas esse celebrandas cum cantu, quot rubricae celebrari jubent. Ita in Burgen. 26. Maii 1626, in altera ad tollendos abusos die 16. Januarii 1620, in Nucerna 16. Febr. 1630, in Aquileien. 9. Apr. 1633, in Policastren. 16. Nov. 1649, in Urbeveta die 3. Augusti 1737, aliisque quamplurimis brevitatis gratia omittendis. Speciali notatu dignum est

naremur, Nos igitur spirituali vestrae consolationi, quantum cum Domino possumus, benigne consulere vosque specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, vobis, ut peracta sacramentali peccatorum vestrorum confessione sacram communionem in missa solemnique in nocte nativitatis Domini Nostri Jesu Christi celebrari solet, perpetuis futuris temporibus sumere libere ac licite possitis ac valeatis, auctoritate Nostra apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 14. Mart. 1781.

(Bull. r. Continuatio t. VI. p. 309.)

Pius PP. VIII.

V. Fr. Archiep. Hispalensi.

Expositum Nobis est a dilecta in Christo filia Josepha Jesu et Mariae moderatrici monasterii sancti Josephi ordinis Minorum sancti Francisci sub regula s. Clarae in Xerez de la Frontera istius Hispalensis dioecesis, nomine etiam aliarum virginum in iisdem claustris degentium, se, quum matutinis horis in pervigilio in Nativitatis Domini ac solemnique sacrificio, quod hisce peractis paulo post mediam noctem cum cantu celebratur, intersint, enixe cupere eodem in sacrificio sacra refici synaxi, non solum ad fovendam pietatem, qua erga illud mysterium inflammantur, vero etiam ut aliquo cibo et quiete recreatae, spirituales exercitationes alacrius iterum aggrediantur. Additum praeterea fuit, sibi in votis esse solemnique quoque sacro sabbathi sancti Eucharistiae sacramentum excipere, quo ipsae majore pietatis sensu Redemptoris gaudium gloriamque recolant. Supplici ergo cum prece a Nobis petitum fuit, hujusmodi ut veniam ex Nostra indulgentia sibi concedere velimus.

Nos igitur oratricem nec non alias, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, tibi venerabilis frater, eas partes imponimus atque mandamus, ut, si ita se res habent, prout expositae, auctoritate Nostra apostolica facultatem facias, cujus opere omnes virgines in commemorato monasterio degentes conscientiae sordes per sacram confessionem ablutae, tum sacratissima nocte, qua anniversaria natalis Christi gratulatio agitur, tum Sabbatho Sancto in earum ecclesia eucharisticam dapem infra sacrificii actionem e manu sacerdotis illud solemniter de more celebraturi sumere libere ac licite possint.

Haec concedimus atque indulgemus non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die decima septima Julii 1829. (Bull. r. Contin. t. XVIII. p. 48.)

Pius PP. VII.

Dilectis fil. Monialibus Ord. Cister. Hispalensis civitatis.

Spirituali consolationi vestrae, quantum cum Domino possumus, benigne consulere vosque specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, vobis ac puellis et mulieribus vobiscum insimul intra monasterii claustra degentibus, ut in nocte Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, post officium et missam, hora tamen consueta celebrandam, nempe post mediam noctem, ac etiam in sabbato sancto post officii et missae celebrationem hora pariter consueta faciendam praevia sacramentali peccatorum vestrorum confessione sanctissimum Eucharistiae sacramentum de

manu sacerdotis in ecclesia vestri monasterii celebrantis summere nec non in eadem Nativitatis Domini nocte post missam praedictam horas canonicas minores, ad Nonam usque exclusive, ac etiam Nonam ipsam pro arbitrio et prudentia superiorissae in choro persolvere libere et licite possitis et valeatis et unaquaeque vestrum, dictae puellae et mulieres quoad sumptionem praedictam pariter possint et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 25. Junii 1819. (Bull. r. Contin. t. XV. p. 225.)

4) Confessio in Nocte Nativ. D.

Vd.: *Confessio in Noct. Nat. D.*

5) Dies octavae.

Utrum in dies octavae festum aliquod transferri possit? Vd.: *Transl. festi dupl.* (decr. n. 4385.)

6) De expos. SSmi in Nocte Nativ. Dom.

Vd.: *Expos. SSmi in Nocte etc.*

7) Missa.

a) De distinctione harum trium Missarum, vid.: *Orator. privat.* (Discursus Secretarii S. C. C.)

b) Hora.

(Privileg.)

Pius PP. VII.

V. Fr. Ep. Vicentino.

Expositum Nobis nuper fuit nomine tuo ac dilectorum filiorum Capituli istius Cathedralis Vicentinae, quod vos pro majori commoditate et devotione fidelium missam et divina officia, quae hora consueta juxta ritum Ecclesiae, nempe post mediam noctem in Cathedra

dra praedicta nocte Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi celebrari solent, in posterum ante mediam noctem praedictam celebrare vel celebrari facere posse plurimum desideratis. Nobis propterea humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur te ac singulares personas, quibus praesentes Nostrae literae favent, specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, quatenus de spirituali fidelium utilitate tibi constet, ut in Cathedrali praedicta missa divinaque officia praedicta, quae in ea post mediam noctem Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, sicut praemittitur, celebrari consueverunt, de caetero etiam ante eandem mediam noctem celebrari libere et licite possit et valeat, ita ut sacerdoti taliter celebranti id ad culpam nullo modo valeat imputari, auctoritate Nostra apostolica concedas.

Datum Romae die 5. Sept. 1820.

(Bull. r. Contin. t. XV. p. 325.)

Pius PP. VII.

V. Vicario capit. Adriensi.

Expositum Nobis nuper fuit, nomine dilecti filii parochi loci di Frasinelle nuncupati istius Adriensis dioecesis, quod cum praeruptae viae et saepe etiam aquis inundatae hyemali praesertim tempore fideles suae parochiae impediunt, quominus in ecclesia parochiali praedicta missae et divinis officii, quae nocte Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi hora consueta juxta ritum Ecclesiae, nempe post mediam noctem celebrari solent, assistant, ipse exponens pro spirituali illorum consolatione dictam missam ante mediam noctem et praecipue secunda hora

noctis celebrare seu celebrari facere posse plurimum desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignemur.

Nos igitur dictum exponentem ac singulares personas, quibus praesentes Nostrae literae favent, specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, discretioni tuae, attento quod episcopalis sedes Adriensis in praesenti vacat, per praesentes committimus et mandamus, quatenus constituo tibi de narratis, ut in parochiali ecclesia praedicta missa divinaque officia memorata, quae in ea post mediam noctem nativitatis D. N. Jesu Christi, sicut praemittitur, celebrari consueverunt, licet hujusmodi celebratio octo ab hinc annis ob memoratas causas interrupta sit, de caetero etiam *ante mediam noctem et hora praedicta* celebrari libere ac licite possint et valeant, ita ut sacerdoti taliter celebranti id ad culpam nullo modo valeat imputari, auctoritate Nostra apostolica concedas.

Datum Romae die 21. Novb. 1820.
(Bull. r. Contin. t. XV. p. 340.)

Leo PP. XII.

V. Fr. Patriarchae Venetiar.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Rector et ecclesiastici viri istius patriarchalis seminarii civitatis Venetiarum in eorum ecclesia nocte Nativitatis D. N. Jesu Christi missam et divina officia hora consueta juxta ritum Ecclesiae, nempe post mediam noctem, celebrari consuescere sibi in votis esse, ut perturbationes et scandala, quae in protractis horis possunt oriri, evitentur, dictam missam ante mediam noctem celebrari facere posse. Nobis propterea humiliter supplicari

fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignemur. Nos igitur dictos exponentes ac singulares personas, quibus praesentes Nostrae literae favent, specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, quatenus constituo tibi de narratis, ut in ecclesia praedicta missa divinaque officia, quae in ea post mediam noctem Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, sicut praemittitur, celebrari consueverunt, de caetero etiam *ante mediam noctem* celebrari libere et licite possint et valeant ita, ut sacerdoti taliter celebranti id ad culpam nullo modo valeat imputari, auctoritate Nostra apostolica indulgeas atque concedas.

Datum Romae die 9. Decbr. 1823.
(Bull. r. Contin. t. XVI. p. 14.)

Leo PP. XII.

V. Fr. Patr. Venetiar.

Exponi Nobis nuper curavit dilectus filius presbyter Joseph Segalin parochus sancti Francisci Vineae istius diocesis Venetiarum, fratribus ordinis minorum sancti Francisci de observantia nuncupatorum, qui praedictam ecclesiam sancti Francisci olim obtinebant, per felicis recordationis Benedictum PP. XIV. praedecessorem Nostrum, datis apostolicis literis in simili forma Brevis concessum fuisse, ut officia et missa, quae hora consueta juxta ritum Ecclesiae in nocte Nativitatis D. N. Jesu Christi post mediam noctem celebrari solebant, in posterum ad evitanda nonnulla scandala in populo ante mediam noctem celebrari possent. Quum autem indultum praedictum post fratrum discessum cessaverit et vigeant adhuc memoratae causae, praedictus parochus

humiliter a Nobis petiit, ut sibi suisque successoribus eandem facultatem tribuamus. — Nos igitur praedictum oratorem ac singulares personas, quibus praesentes literae favent, specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut veris existentibus narratis in ecclesia praedicta s. Francisci Vineae missa et officia divina, quae in ea post mediam noctem Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, sicut praemittitur, hactenus celebrari consueverunt, in posterum etiam *ante eandem mediam noctem* celebrari libere et licite possint et valeant, ita, ut sacerdoti taliter celebranti id ad culpam nullo modo valeat imputari, auctoritate Nostra apostolica arbitrio tuo concedas et indulgeas.

Datum Romae die 26. Novb. 1824.
(Bull. r. Contin. t. XVI. p. 284.)

Veneta.

Anno 1563 Sanctae Mem. Pius PP. IV. instante Nobili Viro Jacobo Equite Superrantio apud Sedem Apostolicam, Nobilium Virorum, Ducis et Senatus Venetiarum Oratore concessit, ut in Collegiata et Parochiali Ecclesia S. Pauli dictae Civitatis nocte Natalis Domini celebrari posset Missa prima noctis hora, uti colligitur ex literis dicti Pontificis in forma Brevis expeditis: *Et insuper dilectis filiis modernis et pro tempore existentibus ipsius Ecclesiae S. Pauli Rectori, Presbytero, Clericis et aliis personis ecclesiasticis, ut deinceps Missam solemnem, aliaque Divina Officia, quae media nocte Festivitatis Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi celebrari consueverunt, statim post primam horam noctis vigiliae Festivitatis hujusmodi celebrare etc. absque ullo impedimento vel prohibitione*

aut conscientiae scrupulo, sine quarumvis Ecclesiasticarum Censurarum et poenarum incursu, etiam Ordinarii aut cujusvis alterius licentia desuper minime requisita, libere et licite valeant, eadem auctoritate et tenore perpetuo concedimus et indulgemus; et in iisdem Literis Apostolicis idem Summus Pontifex nedum derogavit contrariis quibuscumque dispositionibus jam editis sed etiam in posterum edendis: necnon praesentes literas de subreptionis etc. aut alio quovis defectu notari vel impugnari aut etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices aut Sedem praedictam revocari, suspendi, alterari, modificari vel eis derogari nullatenus unquam posse, neque sub quibusvis similibus vel dissimilibus indulgentiarum et concessionum revocationibus, suspensionibus etc. derogationibus aut aliis contrariis dispositionibus, etiam per nos nostrosque successores et Sedem praefatos, ac alios quomodolibet et in quavis Causa pro tempore factis ullatenus comprehensas, sed semper ab illis exceptas et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas et de novo etiam sub quacunque posteriori data per Rectorem praedictum eligenda, concessas esse, ac eisdem Ecclesiae S. Pauli ejusque Rectori et aliis Christi fidelibus suffragari debere decernimus. Non obstantibus quibusvis Apostolicis, ac in Provincialibus et Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus ac Cancellariae Apostolicae Regulis etiam similibus Indulgentiarum et aliarum gratiarum revocatoriis editis et edendis.

Rector et Presbyteri Ecclesiae S. Pauli dicto Privilegio Missam celebrandi prima hora noctis Vigiliae Nativitatis Domini pacifice et inconcussa usi sunt et solum paucis ab hinc annis ab ejus usu destiterunt. Cumque huic S. Congre-